

Insuper supplicamus Maiestati Vestre, ut Maiestas Vestra confirmaret suis litteris Litteras illas promissionis Electionis, quas dederunt Nobis Oratores Maiestatis Vestre, ut scit Dominus Paulus Prepositus.

Et ad hec omnia nostra Intimata et nunciata bonam ac graciosam relationem a Maiestate Vestra expectamus, tamquam a domino nostro naturali et gratiosissimo. Datum in Czethyn, in Congregatione nostra generali, dominica proxima ante festum beatorum Filippi et Jacobi Apostolorum Anno domini Millesimo quingentesimo vigesimo septimo.

E. S. M. Vestre fideles subditi. Andreas Episcopus Tiniensis. Johannes Torquatus Corbavie. Nicolaus Comes Zriny. Cristophorus et Volfgangus Comites de Bryne. Georgius Comes Zluny et Czethyny. Stephanus Comes Blagay, ac Universitas Nobilium Regni Croatiae.

Originale in secreto c. r. Archivio Viennensi.

Responsum Regis Ferdinandi I., SS. & OO. Regni Croatiae datum.

Sacra Regia Maiestas Hungarie et Bohemie etc. ad quosdam articulos, sibi nomine omnium statuum regni Croacie per nuncios eorum exhibitos et petitos, respondet in hunc qui sequitur modum.

Primo, quantum ad privilegia, libertates et Jura regni prefati inviolabiliter observanda, Maiestatis sue responsum est, quod omnia illa illesa et firmiter, sicut ab antiquo et laudabiliter hactenus observata sunt, servare et manutenere vellit.

Secundo, ubi petunt, quod Maiestas sua equites mille et ducentos marthalosios pro defensione regni predicti intertenere, eisque debito tempore solutionem ordinare dignetur; Maiestas respondet, quod huic eorum petitioni gratiose annuere vellet, sed nunc Maiestas sua instruit expeditionem hungaricam contra rebelles, in qua magno equitum numero opus habet, eosque nunc conduxit. Inter quos etiam acceptati sunt plures Carniolani, quos, vbi necessitas expostulaverit, ad Croatiam pro defensione regni et resistentia Turcarum ordinabit. Et in hijs, cum parum adhuc desit, statim postea numerum per eos petitem ad alios equites, quos prius intertenet, supplebit: hijs ergo attentis super 1000 equitibus et 200 Marthalosiijs pro nunc habeant patientiam.

Tertio, super commeatu, artillaria et pulvere tormentario ad eos mittendo, Maiestas sua regia in hijs provisionem faciet, quantum fieri potuerit et presentes rerum occurrentie patientur.

Quarto, quoad solutionem eis faciendam, Regia Maiestas respondet, illam nunc ordinasse et credit, eam quoque factam esse, Et quod in futurum ordinem faciet necessarium quod illam quantotius fieri possit; petit igitur Maiestas sua, ut, quia eos in hijs et alijs necessitatibus eorum generose commendatos habet, ipsi vicissim sicut hactenus fecerunt, se in rebus et occurrentiis Maiestatis sue Regie ita exhibeant, sicut Maiestas sua in eos gratiose confidit et omni erga eos gratia recognoscet.